

debeat originem. Hoc autem triplex simplicissimum partium genus tantū dari exinde elucescit, quod etiam dentur triplicia corpora in universo hoc, quod mundum vocamus, quorum quaedam sunt *lucida* & nativa luce radiantia, ut Sol & reliquæ stellæ fixæ, alia *pellucida* & *lucem transmittentia* ut cælum, alia denique *opaca seu lucem remittentia* ut nostra, quam inhabitamus, tellus.

§. 3.

Cum autem illo tempore prædicta corpora nondum in certas classes veluti & cancellos divisa, sed aliqua crassiora adhuc immixta essent minutioribus, motu tamen continuato eo perventum est, ut pars materiæ primi Elementi non sat spatii intra globulos inveniens expelleretur, in centro aliquo colligeretur, & sidus fixum constitueret, suoque vehementissimo circulari motu globulos minores mediocres, & majores in recta linea pelleret: Quod sidus, nostram terram deinde constituens, successive partes irregulares per partes polares intrabant, ejus motui nō levem opponentes obicem; Cum autē ejusdem materia centralis integris adhuc rutilans viribus in perniciosissimo motu esset constituta, (quo adhuc omnes stellæ fixas gaudere in confesso est) facile intelligimus, quod illam crustam paululum attenuando & in faculas plurimas convertendo statim rursus per partes eclipticas tanquam omnium remotissimas à centro ejecerit, uti videmus fieri in coctione edulium, ubi aqua ebullente spumæ & rejectanea quævis aquæ & aliis corporibus coquendis in hærentia vi jugis particularum aquearum vorticosi motus in superficiem ejaculata supernatant; Illæ autē partes crassiores sic expulsæ constituiebant & formabant atmosphæram aliquam seu ætherem similem nostris nebulis tempore verno conspiciendis, cumque in illo sum partes *terrea*, tum *aquea* & *aërea*